



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Miscellanea, Oder Allerhand Bueß- Passions- Oster-  
Possessions-Nemmung- Primizen- Kirchtage- Rosenkrantz-  
Heiligen- Joco-Serien- und Todten-Reden/ Meisten Theils  
auff öffentlichen Cantzeln perorirt**

**Dalhover, Marcellian**

**München, 1700**

Privilegium Cæsareum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55890)

# Privilegium Cæsareum.

Circa Editiones Librorum à Fratribus Minoribus de Regulari, ac Strictiori Observantiâ S. P.

Francisci nuncupatis, collatum, & in suo valore continuatum ac confirmatum.

## FERDINANDVS II.



Gnosimus, & notum facimus tenore præsentium universis; exposuere Nobis Patres Minores Regularis, & Strictioris Observantiæ S. Francisci, magnas se difficultates, quæ publico cum Religionis Catholicæ incommodo, ac noeuimento conjuncta sunt, in Germaniâ experiri, quòd libri eorumve translationes, & compendia, & imagines æri incisæ, quos, & quas Reipublicæ Christianæ bono, ac pietati fovendæ, augendæque in publicum edere soleant, à quibusvis passim Typographis & Scluptoribus excudantur, & recudantur, non mendis tantum referti, sed vel mutili, vel truncati, vel etiam perversè corrupti; humiliter, atque enixè nos rogando, ut Privilegio nostro Cæsareo sese adversus ejusmodi Typographorum, & Scluptorum licentiam, ac fraudem munire, idque pro autoritate nostrâ statuere dignaremur, ne cui in Imperio Typographorum libros à Patribus Minoribus Regularis, ac strictioris Observantiæ sancti Francisci editos, sicut etiam ab alijs hominibus in diversas linguas translatos, vel in compendium redactos, & Icones eorundem inventione ævi insculptas excudere, aut recudere, se inscijs atque non probantibus, liceat. Nos itaque benignè considerantes quàm utilem, ac salutarem dicti Patres in animabus ritè curandis, pietate, ac religione Catholicâ asserendâ, ac propaganda operam navent, quantumque referat, ut Catholicorum Libri, ac scripta, & imagines à Catholicis, & probatis Typographis cum



Theologorum censurá edantur; ipsorum Patrum precibus eò libentius locum dedimus, quòd omnium ipsi optimè libros suos, ne Religioni, vel Authoribus injuria, vel fraus fiat, censere, ac recensere noverint, ideòque omnibus, & singulis Typographis, & Bibliopolis, Calcographis, Sculptoribus, ac alijs quacumque librariam negotiationem exercentibus seriò vitamus, atque inhibemus, ne quis vel libros, quos dicti Patres Minores aut scripserint ipsi, vel ab ipsis scriptos alij homines in diversas linguas translulerint, vel in compendium redegerint, vel æri etiam insculptas imagines ab ipsis Patribus hætenùs editas, vel impostera edendas intra Sacri Romani Imperij Regnorúmque, & Dominiòrum nostrorum hæreditariòrum fines, simili, vel alio characteris genere aut formâ sive in toto, sive in parte incudere, sculperè vel aliò recudendas aut sculpendas mittere, aut alibi etiam impressas, vel sculptas adducere, vendere, aut distrahere clam, seu palàm citrà judicium ac testimonium supradictorum Patrum (quod nobis, quum nostrum impetrare Privilegium volent, ostendere teneantur) audeat, & præsumat. Si quis verò secùs faciendo Privilegium hoc nostrum Cæsareum negligere vel transgredi ausus fuerit, eum non solum prænarratis libris, & Iconibus, perperam quippe recusis, & adductis, quos prænominati Patres eorúmque Mandatarij ubicumque deprehensos, vel propriâ Authoritate, vel Magistratùs illius loci ope, & auxilio, sibi vindicare poterunt, defacto privandum; sed & pænâ viginti marcarum Auri puri puti Fisco nostro Cæsareo fraudis vindici, & sæpe dictis Patribus, eorundemve Mandatariòrum usibus ex æquo pendenda, decernimus, irremissibiliter puniendum. Hæc tamen conditione disertim adjectâ, ut omnium, & singulorum operum, seu librorum, quaterna ut minùs exempla ad Cancellariam nostram Imperialem Aulicam quàm primùm per eosdem Patres, vel Typographum Privilegij hujus beneficio uti volentem transmittantur,

Mandamus ergò omnibus, & singulis nostris & Sacri Romani Imperij, Regnorúmve ac Ditionum nostrarum hæreditariarum subditis;



ditis ; cujuscunque Statûs, Ordinis, Conditionis aut Dignitatis existant, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti vel proprio, vel Superiorum nomine, & loco jus dicunt, justitiæque administrationem exercent, ne quemquam hoc Privilegium nostrum Cæsareum temerè & impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, si quos fortè compererint, præscriptâ pænâ puniri, aliisque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi eandem multam evitare voluerint, Harum testimonio Litterarum, &c. quæ dabantur in nostra, & Sacri Imperij Civitate Ratisbonæ, ante diem nonas Decembris, Anno Domini supra mille sexcentos sexto, & trigésimo Regnorum nostrorum Romani duodevicesimo Hungariæ undevicesimo, Bohemici verò viceésimo.

Concordat hæc copia cum Registratura  
Imperiali Aulica, id quod attestor  
Viennæ 18. Novembris. 1677.

LUDOVICUS NUSTORFF  
Cancellariæ Imperialis Aulicæ Latine  
Registrator.

Pri-